



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

33. An Capitulum Sede vacante possit revocare licentias Regularium
obtentas ad audiendas confessiones? Idem est de licentiis ad
prædicandum? Ex p. 8. tr. 4. res. 48.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

ubi conceditur Episcopis facultas absoluendi ab hac excommunicatione, quando percussio est levis, habentur hæc verba: Tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum. At nullus Episcopus inferior frater Summi Pontificis, sed filius appellatur, ut patet ex communi stylo Romanæ Curie.

2. Hæc tamen opinio mihi non probatur, nam licet procedat in aliis Prælatibus Episcopo inferioribus, secus verò in Capitulo, quod non est inferior Episcopo quo ad iurisdictionem, sed par quia eius iurisdictione vitur, habetque eamdem potestatem, tanquam subrogatum, arg. text. in cap. is, qui in ius, de reg. iur. in 6. vnde Capitulum non dicitur proprie Vicarius Episcopi, sed successor, ut docent Fedes de Sen. cons. 30. num. 6. post gloss. in cap. 1. de maior. & obed. lib. 6. Abb. in cap. cum olim, not. 1. extra ord. tit. Roman. dicens esse communem opinio- nem, consil. 505. numero 13. in fin. vbi Mandol. lib. 1.

3. Et ita etiam docet Molina tom. 6. tract. 5. disp. 11. num. 6. vbi sic ait. Ex eodem fundamento, quod tota iurisdictione Episcopi, quæ in iure denegata ei competitur, derivetur in Capitulum, Sede Vacante; constat Capitulum, Sede Vacante, excommunicare posse. Ita Navarr. in Manual. cap. 17. num. 5. relique est notissima. Potest item absolvere ab excommunicatione tam à iure, ut ob percussio- nem Ecclesiasticam, quam ab homine quando ab eis Episcopis absolvere potest. Ita habetur expressè cap. vnic. de maior. & obed. lib. 6. Potest similiter punire, deponere, suspendere, & privare beneficiis, & alia facere, quæ ad correctionem spectant; cum ea omnia ad iurisdictionem Episcopi spectent. Ita Mo-

4. Hinc inferitur posse Capitulum deputare Pœnitentiariorum cum potestate absoluendi ab huiusmodi excommunicationibus, & aliis casibus Episcopo re- servatis, sic Azor. tom. 2. lib. 3. cap. 37. quæst. 6. Vgolin. de potest. Episc. cap. 36. Barbosa eod. tract. 3. allegat. 52. num. 7. Et quod dictum est de excommunicatione, di- cendum est etiam de aliis censuris, quæ militat ead- dem ratio.

RESOL. XXXII.

An Capitulum Sede Vacante possit approbare Confes- siones? Exp. p. 8. tr. 4. Ref. 46.

§. 1. Ad hoc dubium respondet Ludovicus à Cruz in Bulla Crucata. disp. 1. c. 2. dub. 24. ubi supponit sub nomine Episcopi in Concilio, intelligendum fore quemcumque Prælatum exem- ptum, iurisdictionem Episcopalem habentem in populum fidelium. Vnde nec Episcopus tantum elec- tus, nec etiam consecratus, si Episcopatum non ha- beat, nec demum Provinciales, aut Generales Reli- gionum approbationem huiusmodi dare possunt, quia neuter istorum habet iurisdictionem Episcopa- lem, & ordinariam in populum fidelium; potest tam- en eam impendere Episcopus electus, & confirma- tus, licet nondum sit consecratus, modò habeat Episcopatum, quia iam iurisdictionis actus exercere valet. Idem est similiter dicendum de Vicario Episcopi, quia vnus cum ipso censetur, illius siquidem iurisdictione vitur. Immo de Capitulo, Sede Va- cante, non est dubium, quin possit Confessores ap- probare, arque exponere; tum quia vnus communi- ter receptus hoc satis indicat, id enim efficit per Vi- carium suum; tum quia hic actus approbandi non est actus Ordinis Episcopalis, sed iurisdictionis, non

sibi specialiter à Pontifice delegatæ sed ordinariæ; hoc enim Episcopis tribuit Concilium ratione sui muneris. Idem ergo potest exercere Capitulum, quod Episcopo succedit in iurisdictione non tan- quam inferior, sed æqualis, ut tradunt Canonistæ in cap. olim. de maioriæ & obedientia, vbi Felinus ver- sic. 6. videri etiam potest. Vide etiam Nouarium in summa Bullar. tom. 2. tit. de Capitulo, Sede Vacante, num. 9.

RESOL. XXXIII.

An Capitulum Sede Vacante possit revocare li- centias Regularium obtentas ad audiendas confes- siones? Idem est de licentiis ad prædicandum. Ex p. 8. tr. 4. Refol. 48.

§. 1. Mover hoc dubium Fagundez de præceptis Ecclesie, p. 247. c. 2. n. 28. & ad illud sic respondet. Dixi n. 26. posse Capitulum, Sede Vacante, de iure revocare approbationem Mendicantibus datam: quia spectatis privilegijs Regularium aliter omnino dicendum est. Capitulum igitur, Sede Vacante, non potest hanc approbationem à præce- dente Episcopo Mendicantibus datam revocare, nec licentiam ad prædicandum, aut ad aliqua vota in pia opera commutanda propter speciale privilegium concessum Dominicis ut in eorum privilegijs continetur fol. 55. verso, & Franciscanis, ut in monumen- to Ordinis, fol. 113. concess. 144. à Clemente IV. ann. 1265. originale habetur in Conventu D. Francisci Salmantica, ut docet Rodriguez tom. 1. Bull. fol. 36. & idipsum docet Sylvest. verb. Confessor. 2. n. 4. q. 3. ad finem.

2. Hinc est, quòd mortuis Episcopis solet Capitu- lum, Sede Vacante, generali mandato revocare omnes licentias, & approbationes ab Episcopo præce- dente datas, compellens, ut omnes Confessarij com- pareant, iterum examinandi: quod mandatum, cum sit generale, non comprehendit omnes Regulares, nec vllum eorum; & quamvis de illis specialiter, expressè- que loqueretur, adhuc esset nullius momenti, cum sit directe contra illorum privilegium; nihil enim Capitu- lum, Sede Vacante, innovare potest quo ad Regu- lares. Ita Fagundez.

3. Sed apponenda hic etiam existimo verba Angeli Bossij de iubil. sect. 3. cas. 2. §. 1. n. 47. vbi ita asserit. Adverte solum successorem in dignitate, & iurisdic- tione, non autem in iurisdictione tantum, ut est Capitu- lum, Sede Vacante, posse semel absolute appro- batos prævio examine iterum ad examen vocare, & approbare, vel reprobare, provt novit esse, vel non esse idoneos. Nam etsi successor in iurisdictione tan- tum, ut Capitulum, Sede Vacante, in spectro iure com- muni posset approbationes Regularibus concessas re- vocare, siue sint absolute concessæ, siue ad tempus certum, durante eodem tempore: nihilominus à Cle- mente IV. anno 1265. (ut in eorum privilegijs conti- netur fol. 55. verso, & refertur à Iohanne Baptista Con- fecto in collectione privilegiorum Mendicantium, & Rodriguez tom. 1. Bullarum, fol. 36.) religiosis Domi- nicanis, & Franciscanis concessum est hoc privile- gium, ut Capitulum, Sede Vacante, non posset appro- bationem à præcedente Episcopo prædictis fratribus datam revocare, nec licentiam ad prædicandum, aut ad aliqua vota in pia opera commutanda eisdem co- cessam: de quo privilegio mentionem faciunt etiam Sylvest. verb. Confess. 2. n. 4. Alexand. Peregr. 1. p. privi- legiorum sui Ordinis, tit. absolutio quoad seculares, §. 7. & Fagundez de iro cap. 2. num. 28. vnde si Capitulum

Sup. hoc in tom. 7. tr. 1. Refol. 63. & A esse mesmo, & in Ref. 80 §. vlt. ad lin. 4. & magis late in Ref. 82. & quoad revo- cationem licentiæ ad prædicandum, late principio à Ref. 1. huius annor.

Sup. hoc late in Ref. 1. not. præter- ritæ ab eius principio.

LIBRERIA
D. III. IV. V
E. III

mortuo Episcopo, revocaret omnes licentias & approbationes, non comprehenderentur Religiosi, & si etiam de ipsis fieret specialis mentio, nullius momenti esset talis revocatio; vel vocatio ad novum examen. Quod si dicas cum Philiberto Marchio *cit. p. 15. sui tract. tom. Pofit. c. 16. prædictum privilegium fuisse abrogatum à Tridentino in prædicto c. 15. sess. 23. per clatulam derogatoriam, non obstantibus privilegiis. Etenim in dicto Capitulo nomine Episcopi, cuius approbatio etiam respectu Regularium est necessaria; comprehenditur Capitulum, Sede Vacante, ut & nos probabimus *infra* §. 3. n. 26. Quare sicut Episcopus successor potest revocare approbationem Regulari à suo Antecessore concessam; quia revocata iam amplius non censetur iuxta Concilium approbata, ita etiam Capitulum, Sede Vacante, poterit, revocare approbationem eidem Regulari ab Episcopo vivente concessam, eaque revocatione facta iuxta Concilium, iam non erit idoneus ad Confessiones secularium audiendas, absque nova approbatione. Respondetur negando assumptum; derogat enim Concilium dumtaxat privilegiis audiendi confessiones secularium absque Episcopi approbatione prævia; non aliis privilegiis Regularium circa confessiones; ut constat ex textu illius Capituli, in quo agitur tantum de necessitate approbationis, ut quis Sacerdos, sive secularis, sive regularis censetur idoneus ad secularium confessiones audiendas: Regulares autem absolute approbati ab Episcopo vivente eo defuncto remanent approbati, ergo non possunt absque nova causa cognita à successore reprobari, ut dictum est; & sic iuxta Concilium sunt idonei ad confessiones audiendas in eodem Episcopatu; neque à Capitulo ratione prædicti privilegij possunt reprobari, vel ad novum examen vocari; esset autem necessaria approbatio facta à Vicario Capituli, si iam non fuissent à vivente Episcopo approbati, & hoc tantum probat discursus Patris Marchini. Possunt etiam Regulares simpliciter approbati ab Episcopo successore in dignitate, & jurisdictione ad novum examen vocari; quia privilegium concessum est solum quoad Capitulum, & non quoad successorem in dignitate, Episcopo autem successori plus quam Capitulo voluerunt Summi Pontifices pro quiete suæ conscientie remanere liberam potestatem subiciendi novo examini Sacerdotes regulares absolute approbatos, quia Capituli jurisdictione, & gubernatio ob Vacationem Sedis regulariter parum durat; & pro parvo illo tempore noluerunt Summi Pontifices, Regulares absolute approbatos exhiberi novo examini; successoris autem Episcopi jurisdictione, & regimine regulariter diu durat, cum non extinguatur nisi cum interitu eiusdem Episcopi, vel amotione ab Episcopatu. Huc usque Bossius; & de hac questione ego alibi.*

RESOL. XXXIV.

An Capitulum, Sede Vacante, possit dare licentiam Novitiis disponendi de eorum bonis temporalibus?

Et an possit munus Syndicandi exercere? Ex p. 8. tr. 4. Ref. 53.

§. 1. **R**espondeo affirmativè: Dico igitur posse Capitulum, Sede Vacante, licentiam concedere, ut Novitij intra duos menses ante professionem disponant de bonis temporalibus; iuxta Concilium Tridentinum *sess. 25. de regularibus c. 16.* Patet, quia hoc potest Episcopus iure ordinario, ut constat ex *d. c. 16. at Capitulum succedit in omnem jurisdictionem ordinariam, Episcopo competentem, ut probavi supra, Et hanc opinionem tenent Sanchez, tom. 2. sum. l. 7. c. 5.*

n. 67. Barbosa tom. 3. de potestate Episcop. alleg. 99. n. 4. Barthol. à S. Paulo in thes. relig. l. 4. q. 195. & alii.

2. **N**otandum est etiam hic obiter quòd cum Syndicare sit actus jurisdictionis, Paris de Puteo *tr. de Syndic. rubr. de offic. Syndic. §. indices ad Syndic. n. 9.* & in illo procedatur tam ex officio, quam ad instantiam partis, ut per eundem dicta rubr. §. proceditur *autem*, eo ipso quòd Capitulum succedit Episcopo in jurisdictionibus, & potest de delictis in genere, & in specie inquirere, ut supra firmatum est; sequitur quòd hoc etiam munus Syndicandi possit exercere, ita Rota dicta *de off. 166. n. 3. vbi num. 4. cum sequentibus*, respondet contrariis.

RESOL. XXXV.

An Capitulum Sede Vacante possit dare licentiam Monialibus exeundi à Monasterio ex causa? Ex p. 8. tr. 4. Ref. 39.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Baunius in *Theolog. moral. tom. 1. tract. 11. quæst. 24. vbi sic ait: frax hoc potest Capitulum, cum Sedes vacat, Monialibus exeundi à claustris domo que ex causa; quia Vicarius Episcopi, eandem cum eo jurisdictionem habet Navarr. lib. 3. consil. secundum primam editionem *tit. de statu. Monach. cons. 6. Sanchez lib. 6. sum. cap. 15. n. 30. nisi hic eam restringat: at Episcopo competit jurisdictione delegata in Moniales exemptas, quoad egressum è claustris, secundum Trident. sess. 25. de Regular. cap. 9. & cap. periculosis, & Capitulum, Sede Vacante, vices agit Episcopi mortui: ergo hæc ab eo, Vacante Sede, facultatem egressendi domo ex causa impetrare poterunt, cum esse non debeant sine Prelato ad quem confugiant.**

Sed hæc opinio non est admittenda stantibus Declarationibus factæ congregationis, de quibus alibi dicendum erit.

RESOL. XXXVI.

An Vicarius Sede Vacante possit visitare Monasteria Monialium exemptarum, & Sedes Apostolicas subiectarum?

Et explanatur Capitulum Sede Vacante non succedere Episcopo in privilegiis concessis, cum sint personalia & odiosa. Ex p. 7. tr. 1. 2. & Misc. 3. Ref. 28. alias 26.

§. 1. **R**espondeo negativè cum Steph. Baunio in *Theol. mor. p. 1. tr. 1. 1. q. 24. Quia, ait ipse, auctoritas, quæ commissa est ac legata cuiquam à Pontifice, hæc ab illo ad alium non dimanat, cum eius solius sit à committente habita ratio præ cæteris, industriaque, qua reliquis præstabat, sed est Episcopus Papæ loco, cuius quoque est ex beneficentia, in Monialium exemptarum cura ac regimine, delegatus superior, rectorque, *Trid. sess. 25. c. 9. Monasteria sanctimonialium sanctæ fidei Apostolicæ immediate subiecta etiam sub nomine Capitulorum sancti Petri, vel sancti Ioannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab Episcopis tanquam dictæ sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscumque: Ergo Episcopo mortuo Capitulum visitare non poterit, Monasteria exempta Monialium.**

2. **S**ecundò, Capitulum non succedit Episcopo in privilegiis eis concessis, cum sint personalia, & odiosa, ac proinde strictè interpretanda, *Innoc. in cap. dilecti, de donat. Flam. de resignat. leg. 7. q. 1. n. 24. Sed quòd Episcopo ius sit dicendæ sententiæ, in factis Deo*

virginis,